



THEODOSIVS iunior Arcadij filius, Orientale Imperium post patrem tenuit anno mundi 4372. à Christo nato 410. hunc puerum admodum, moriens pater reliquit sub tutela Isdigerdis Persarum Regis: quod bene celsit: nam barbarus Rex tutelam summa fide gessit, & pacem cum Romanis quoad vixit habuit. Honorio patruo defuncto Valentinianum Constantio & Placidia natum, Cæsarem facit, & peropportunè Romã mittit: nam Ioannem factione Castini Imperatorem factum, atque etiam Africam sibi vendicantem, novus princeps oppressit. Gensericus, Vandalorum Rex, post insignè victoriam & magnam stragem, Carthaginem occupat. Ad Aquilonem Bleda & Attila, fratres, Hunnorum Reges, Illyricum & Thraciam Thermopylas vsque deprædantur: attamen omnia Theodosius magna gloria tutatus est. Vide Pom. Læ. & Bap. Egn. vixit, imperavitq; annos 48. cum Honorio 21. postea 27. obiit morbo apud Constantinopolim. Vide Pau. Diac. li. 4. Hoc principe Venetiæ felicibus auspiciis in aquis habitari cœpere. Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum Pelagianis, synodo Ephesina damnatur: & Pharamundus apud Francos primus regnat.

EVDOXIA, Leonis Atheniensis Philosophi filia, Theodosij vxor fuit, quæ præter egregiam formam, singularémq; pudicitiam, etiam literis excelluit: hæc filiam eiusdem nominis peperit, quæ Valentiniano nupsit, quo Romæ occiso, vt viri mortem vlcisceretur Gensericum ex Africa vocavit: qui Romam venit, ac rediens Eudoxiam viduam abduxit.